(12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

TETANO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WAYTE,

ANGLUS,

REG. MED. SOC. EDIN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

FRATRI SUO CARISSIMO

GULIELMO WAYTE,

FRATRUM OPTIMO,

HANC DISSERTATIONEM,

AMORIS ET ANIMI GRATISSIMI

LEVE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

LUBENTISSIME DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TETANO.

PROŒMIUM.

In eo, qui regione temperata artem medicam solum exercuit, ubi Tetanus variis ejus formis, quas in zona torrida minime sibi præfert, istum morbum describere ineptum videri potest; præsertim cum exitus ejus est plerumque lethalis, et morbus ipse tantopere medicaminum ultra opem, ut inter opprobria medicorum censeatur. Sed equidem ob hanc ipsam causam pro disputatione eum seligere incitatus fui; existimans, morbos qui quotidie obveniunt, et qui remediis bene notatis cedunt, minus indagatu dignos esse, quam

obscuros. Non novum remedium contra morbum hunc terribilem ferre me fateor, tamen lectores attentos reddendo spem non prorsus abjicio, proferendo ante oculos medicamenta jam et olim in usu, atque exemplum recitandi, quod remedio uni concessit. In his paginis, speciebus singulis Tetani operam dabo, gradu etsi inæquali, speciatim Traumaticæ seu Symptomaticæ insistere statuens, quamvis ab Idiopathica plagæ orientalis parum distat. Inutile est historiam hujus morbi medicam narrare, quia faciem semper eandem ab ævis remotis usque ad hodiernum servasse videtur; aliis valde dissimilis, qui varias modificationes subierunt. Sive scriptores antiquos consulimus, sive recentiores, constantem ac veram similitudinis descriptionem percepimus; quod morbo tam sævo et bene notato vix obtenuisse potuisset, si mutationes magnas lapsus annorum effecisset. Itaque ab origine ejus investigatio, verborum molesta repetitio foret. Longe aliter modi hunc morbum sanandi, quos ad tempus de tempore medici sequuti sunt; quod opiniones diversas de ejus natura illustrare possint, et ad utiles deductiones ducere. Res omni morborum investigatione exoptanda, calamitates hominis quam maxime minuere potest; " Ho-

mines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando *."

DISTRIBUTIO ET MORBI DEFINITIO.

Tetanus, a verbo Græco τεινω deducitur, (morbus ab antiquis distensio nervorum habitus). Cl. Cullen eum definit, " Plurium musculorum rigiditas spastica;" et Boerhaave ita, " Quum neutram in partem detortus homo, et inflexilis distenditur :" quarum singula mihi manca videtur, et melius fuisse eas jungere.

Opisthotonos ab οπισθεν et τεινω deducitur, quo vi spasmodica musculorum dorsi corpus forte reflectitur.

Emprosthotonos, ab εμπροσθεν et τεινω, ubi conditione spasmodica musculorum abdominis, et anteriorum cervicis, corpus prorsum incurvatur.

Pleurosthotonos, a πλευρον et τεινω, ubi ad unum vel alterum latus, spasmo musculorum lateralium corpus flectitur.

Trismus, a τριζω. Doctor Cullen eum sic

---

* Cicero.

depingit: "Præcipue maxillæ inferioris spastica rigiditas."

Quamvis definitio Trismi sit propria, ejus etymologia præeuntibus nullum habere connexum videtur, etiamsi sit morbus generis ejusdem: idcirco nomen ineptum existimo. Quatuor morbos posteriores, primi varietates solum esse credo, et quantum typos earum jam recensitas expônere juvant, bene, pro re practica non optima valent. Hic distributionem istam in Tetanum Idiopathicum et Symptomaticum præpono; ad priorem Tetanus Indicus et Trismus Nascentium pertinent; ad posteriorem Tetanus Febricosus, et Trismus Traumaticus. Mihi videtur fibras musculosas Tetano affectas quæ arbitrio animi subjiciuntur, esse in statu spasmi passivi, quo tempore corpus rectum jacet, maxillæ annexæ, sed in activum seu spasmum tonicum incidere paratæ: quando prout hic vel ille ordo musculorum potentissimus fuisset, Opisthotonon, Emprosthotonon seu Pleurosthotonon, videbimus. Ita musculos dorsi et posterioris cervicis partis, vi adversos præstare scimus; hinc plurimis exemplis Opisthotonos. Eodem modo, maxillam inferiorem musculi claudentes, aperientibus esse fortiores, unde oritur Trismus. Denuo di-

gitorum et cubiti flexores antagonistas suas superant, unde amborum sævæ contractiones. Qua de causa non bene percepimus, quomodo Emprosthotonos, seu Pleurosthotonos, evenire potest, præterquam musculi his statibus oppositi, Paralysi vel altero morbo laborant. Argumenta quæ me impulerunt statum spasmi passivi sentire, sunt, 1mo, Impotentia maxillas dissociandi paroxysmo absente; et, 2do, Quamvis ægroto meo * diu post manus amputationem, paroxysmus non facile excitabatur, tamen se prorsus inflectere non potuit, et veluti baculum a supina ad positionem erectam eum sustuli.

HISTORIA MORBI.

Nulli regioni, tempestati, ævo, sexui, temperamento, negotiove, morbus hic sævissimus parcit; non etiam genti humanæ solum nocet. Multa etsi eo favent; quamvis enim plagis in fervidis plurimum polleat, adeo ut locis quibusdam endemia †

---

* Vide postea.

† "Hic in Indiis tam familiaris est affectus, ut merito inter endemios populares morbos enumeretur."—Bontius, *De Med. Ind.* cap. ii.

nuncupari, tamen nostrate minime est rarus, uti experientia et auctores docent *.

An regione calida seu frigida morbus sit crudelior, est quædam disceptatio. Hic uno †, ille altero affirmans ‡. Effectibus plagæ datis, et calore Tetanum augeri reperiens, de vi tempestatum paululum dici restat. Apud Carolinam Australem, magis in vere et autumno, plerumque autem æstate sævit ||; sed ARETÆUS, qui symptomata morbi fideliter pinxit, hyemem præcipue inimicam putavit §. Quod ad ætatem, sexum, vel corporis habitum, discrimina sunt parva, tamen ut mentis discrepantiam efficiant. Auctoritas antiqua modo citata, mulieres hominibus, pueros adolescentibus, sed omnibus senes, morbo

---

* "Quandoque accidit in regionibus septentrionalibus," &c.—AVICENNA, Lib. iii. cap. 8.; et etiam BLANE "On Diseases of Seamen," Part. iii. c. 4.

† MORRISON, *De Tetano*, "Milder in West Indies than Europe."

‡ MACBRIDE, "Most violent in hot climates."

|| Doctor CHALMERS, *Lond. Med. Obs.* vol. i.

§ ARETÆUS, *De Caus. Morb. et Sig. Acut.* Lib. i. cap. 6.

aptiores habebat *. Dum scriptor hodiernus ordinem ferme invertit †. Attamen nec ætatem, sexum, et similia respiciens, quæ ad infinitum mutant; clarissimo GREGORIO potius dicerem, " Habitus corporis nimis sentiens, et nimis mobilis homines spasmis opportunos reddit ‡."

Europæis Mauri sæpius morbo correpti, aptiores esse dicuntur; sed se causis excitantibus amplius objici, vel vulnerum, pede nudo ambulandis; vel temperiei mutationis subitæ, in balneum frigidum descendentibus ‖, sudore manente, in animo haberi debet. Nemo tamen affirmare potest, se habitu corporis non dissidere, itaque non Tetano prochiviores. Calor intensus et diutinus, cum aliis causis (fortasse ignotis), morbum suscipiendi faciliores reddent, æque ac sensum tactus tenuiorem iis præbendi. Victimam solam ne restat homo, animalia enim bruta §, hoc morbo atroci corripiuntur.

---

* ARETÆUS, art. *Tetanus.*

† CULLEN per GREGORY, Cap. *Tetanus.*

‡ Conspectus Medicinæ, Cap. xii.

‖ Vide HILLARY's Barbadoes, p. 219.

§ " I have seen many horses die from it."—MOSELEY *On Tropical Climates*, p. 476. Quoque Doctor

Subito aut gradatim æger morbo corripitur, et quamvis super causæ intensionem vel modum applicandi pendere non sentimus, tamen speciem idiopathicam esse repentiorem notatum fuit, nihilominus ambæ indiciis invicem consimiles sunt. Bontius inquit, " Tam repentinus ac subitus est aliquando ejus impetus, ut dicto citius, homines rigidi non secus ac statuæ permanent *," cum quo plures sentiunt. In Tetano idiopathico a duodecim ad horas septuaginta, et symptomatico a quatuor ad dies duodecim inter causam et effectum fere concedamus. Perpaucis in exemplis vulnus sanatur †, priusquam tetanus incipit. Aggressionis exempla a læsione ‡, serius aut ocyus haud desunt ||. Trismus nascentium intra pri-

---

Christie, " It is not unfrequent in Ceylon, from parturition; nor in horses, from docking."—*Ed. Med. Surgic. Journal*, vol. viii.

* Bontius, De Medico Indico, Cap. ii.

† Vide Hillary et Gilbert. Blane, Eq.

‡ Doctor D. Monro, *Ed. Phys. Lit. Essays*, vol. i. tetanum vidit sex hebdomadis post vulnus, a frigoris applicatione.

|| Professor Robison (Rees' Encyclop. art. *Teta-*

mam hebdomadam fere oritur, neque Doctores CLARK* vel UNDERWOOD †, cum aliis, post diem nonam e partu unquando evenire viserunt. In impetu repentino signa præmonentia desunt, et morbus pessimos ad status celeriter pergit. Contra, lassitudo, rigor levis, faucium molestia, devorandi difficultas quædam, dolore linguæ radice comitata, primum eveniunt: maxillæ simul ægre disjunguntur. Attamen ægro meo vultus imprimis malum designavit ‡; fuit peculiaris, non dolori sed simplicitati mœrore mistæ denotans, atque idem CÆLIO AURELIANO his verbis depictum observo: "Et sine ratione veluti ridens, cum quadam mobilitate suarum partium ||." Mox spasmi incipiunt, repetitione et vi corpore in toto crescentes, donec æger paroxysmo (fortasse cordis spasmo) moritur. Omni scriptore de Tetano,

---

nus, casum narrat de Tetano in Æthiope quarta parte horæ post vulnus orienti.

* CLERK "On West Indian Diseases."

† UNDERWOOD "On Children, art. *Tetanus*."

‡ Vide postea.

|| CÆLIUS AURELIANUS, Lib. iii. cap. 6.

narrationis similitudo valde obtinet, neque mirum est, cum indicia patent, morbus tam hodiernus, et heu lethalis! cujus ultima pars, medico solum commoveat, ad studiose notandum, fideliter depingendum, modo effective medendum. Molestiæ sensus perceptiones circa cervicem, cito rigiditati spasticæ et spasmo augentur. Omnes musculi voluntarii sub spasmo passivo laborant, et sexta vel quarta quaqua horæ parte, in accessionem atrocissimam incidere parati. Res levissima, sicut conamen motum, subita agitatio, clamor, et etiam deglutitio ipsa, eum excitabit. Ad modum Trismus semper adest, sed durante accessione dentes strident, et nunc Tetanus (accurate loquens), nunc Opisthotonos, vel Emprosthotonos, nobis præponetur. Si Tetanus corpori solum invaserit, tunc recto erit, et verbis HIPPOCRATIS uti, " Maxillæ velut ligna rigent, et os aperire nequeunt; oculi illachrymantur, ac distorquentur, dorsum riget, crura contrahere non possunt, similiter neque manus *." Si Opisthotonos adsit, hominem retrorsum incurvat, " ut reflexum caput

* HIPPOCRATES, De Morbis, Lib. iii. cap. 12.

inter scapulas locetur *," et corpus totum instar arcus; abdomen intentum erit, inflexi sunt cubiti, et interdum sursum a lecto prosilit: Dum Emprosthotono corpus et collum in partem anteriorem conducuntur, atque mentum sterno configitur. Quædam signa omnibus sunt communia: alvus magnopere constricta; dolor sævus per epigastrium ad vertebras extendens; respiratio vitiosa, et, secundum ARETÆUM, " in respirando stertunt †;" strangulatio vehemens ab ore sputum emittens; musculi, præsertim buccæ et labiarum, tremunt; vox est flebilis, et facies ruberrima. In ægro meo dolor abdominis acerbe questus erat, et putavi, a tensione magna rectorum abdominis simul contractorum eum provenire. In remissione pulsus arteriarum est naturalis, exacerbatione tamen velox, durum, et sæpe abnormis. Sudor semper adest, profuse in paroxysmo. Urina fere suppressa, donec vi spasmorum vesica fortiter ejicitur; sæpe tamen facile redditur. DE HAEN suppressionem et incontinentiam urinæ notavit, statu musculorum impensorum discrimina tan-

---

* ARETÆUS, De Tetano.

† Idem.

tum denotans *. Idem auctor delirium et febrem memorat †, quamvis plerumque mens sit sana, et febris nulla. Pervigilium est manifestum, somnusque ægro obreperet, subsultu tendinum rigidorum turbatur. Quando vulnus supervenit, in ejus superficie mutatio consentanea apparet. Suppuratio minuitur, pus in saniem mutatum, et granulationes, vitreæ, molles, et pallidæ fiunt. Ita functiones animales, vitales, atque naturales, plus minusve affectas vidimus; spasmum universalem; maxillas constanter clausas; caput intra scapulas fixum; abdomen quasi in equuleum intensum; brachia lateribus vincta; et musculos omnes trepide vivantes. Hæc horrorem gignunt; et linguam cum poëta exclamare impellunt,

> "All on a sudden miserable pain surprised thee;"

vel cum ARETÆO, "inhumana calamitas, injucundus aspectus, triste intuenti spectaculum, et malum insanabile ||."

---

* DE HAEN, Ratio Medendi, Cap. x.

† Idem.

‡ MILTON'S "Paradise Lost," B. ii. lin. 761.

|| ARETÆUS, De Tetano, Lib. i. cap. 6.

QUÆ SECTO CADAVERE DEPREHENDUNTUR.

ANATOMIA morbosa quæ multis in morbis causas et naturam plane illustravit, et medicis methodum medendi felicem sæpe indicavit, hoc morbo talia nunquam præbet. Fateor occasionem nullam mihi obvenisse corpora perscrutandi; non igitur usu proprio, sed alienis laboribus nixus, de hac argumenti parte disputavi. Arbiter ille clarus MORGAGNI paululum edidit. Exemplo uno Emprosthotoni aspectus sequentes memoravit. "In cadaveris cute multæ rubræ maculæ, in cerebro autem nihil adnotatione dignum occurrit, præter perpaucum serum, idque salsum in sinistro ventriculo. Thorace aperto, in sinistro ejus cavo aquæ unciæ aliquot repertæ sunt, pulmo autem uterque multum rubens, ad dorsum præsertim, pericardium sero omnino plenum *." De effusione cavo thoracis et pulmonibus sanguinis congestione, observationes similes offert DE HAEN †.

---

* MORGAGNI, De Sed. et Caus. vol. i. De Convulsione.

† DE HAEN, Ratio Medendi, Cap. x.

Baron LARREY, œsophagum et pharyngem valde inflammatum reperit *. In nonnullis exemplis intestina erant inflammata, sed Doctori HENNEN nihil momenti sectio cadaverum præbuit †. Opinio alia a quibusdam nuper fuit proposita, nempe, medullam oblongatam et spinalem vasis turgidis præcipue affici, et epistola hodierna, Doctorem SAUNDERS nimia fide loquutus esse, et secum discrepare sentio. Dicit, " The turgid vessels in every obstinate and severe case, may be traced into the substance of the spinal marrow by the sides of the striæ, which seem to be the continuations of the nervous filaments; as also along the nervous cords, through their sheaths formed in the dura mater." Rursus, " I have conducted this investigation for about sixteen years, and have not met with any exception ‡." Cum paulo post tempore, eos respondendi qui se credere medullam spinalem, ejusque nervos et membranas semper vasis turgidis laborare putant; ait, " This is incorrect: I have examined cases of Trismus,

---

* Chir. Milit. vol. i. Camp. d'Egypte, p. 247.

† Doctor HENNEN's " Surgery."

‡ Doctor DUNCAN's " Med. & Surg. Journ." vol. xvi.

in which the spinal marrow, its membranes and nerves, were almost entirely sound, from the atlas to the lumbar vertebræ*." Hæc saltem dubia sunt, quoniam sine hac conditione vasorum morbus evenire et necare potest. Statum cerebri et generis nervosi morbosum, hujus morbi causam esse credo; attamen nondum nobis licere, vel statum eum depingere, vel theoriam justam formare.

DE CAUSIS REMOTIS ET PROXIMA.

De Causis Remotis.—Tetani causæ nunc animum meum arripient. Res magni momenti; cujusque sine notitia quadam, methodus medendi noster adhuc imperfectior foret. Quamvis enim proximam causam deprehendere restat, " Quæ præsens morbum facit, sublata tollit, mutata mutat†;" et sine qua fortasse nunquam certa ratione mederemur, tamen causæ remotæ minime sunt contemnendæ. Sæpe ante oculos positæ, potestate nostra jacent, adeo ut iis subductis, salutem reddimus. Igitur imprimis eas tractare volui. In

---

* Doctor Duncan's " Med. & Surg. Journ." vol. xvi.

† Conspectus Gregorii, Cap. i.

Prædisponentes et Excitantes dividuntur; priores in corpore semper habitant, quamvis primitus ab externo; posteriores extus vel intus eveniunt. Singulæ morbos inducere possint; sed earum actio sæpius et necessarie est reciproca; et quoniam res eadem modo prædisponens modo excitans esse potest, discriminis indicia non semper facile notanda, confiteri oportet. Inter causas remotas, tres manifestæ sunt, Calor, Frigus, et Vulnus. At his in corpus agentibus, imprimis videamus, an quidam habitus proclivitatem gignat? Estne temperamentum sanguineum, melancholicum, phlegmaticum, seu nervosum? Quod mobilitatem musculorum fibrarum auget, aptissimum fit, hinc mihi sanguineo-nervosum videtur. Nimium ne crede temperamento, quum sors neque vitæ, sexus, ætas, nec etiam animal brutum, immunitatem sibi vindicare possunt. Attamen genus nervosum etiam musculosum omnibus esse communia percepimus, et eorum nexum tam intimum esse, ut musculum pungere citra nervum inde læsum, neque nervum musculosas fibras petentem vulnerare, sine contractione excitata, non possumus: aut alterutrum facere, sine sensorio affecto. Quicquid igitur præter modum sentiendi vel irri-

tandi facultates (si disjungerentur) auget, tetanum promovebit. Frigus atque calor sunt appellationes relativæ, gradus alterutrius extremus non adhuc definitur; sed modo tantum corpori vivo ea applicandi, quantum intensioni, levandis vel morbis creandis nos ascribimus. Ex. gratia: Aqua apud temperiem XLV, corpori sano temporis momento inspersa, incitabit et vires promovebit; dum sparsio similis corpori eidem diu applicata, sedativa etiam ad syncopen fiat. De calore observationes eædem obtinent. Cæteris paribus, sanitatis status discrimina gignit; adeo ut viribus æstimandis plurima sunt perpendenda: Spatium temporis, vicissitudo, intensio et subitanea rei applicatio; corpori universo annon, sub timoris vel gaudii potestate, et denique mos pristinus. De his causis auctorum opiniones jam perscrutemur. Ille præceptor eximius HIPPOCRATES, inquit *, "Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit, denigrat, rigores febriles, convulsiones et Tetanos

* HIPPOCRATES, Sectio 5. Aph. 20.

invehit :" sic perspirationem cohibere se putare videtur.

Aretæus sævum frigus causam esse Tetani affirmat : hinc hyemem maxime infaustam putavit. Cælius Aurelianus, Paulus Ægineta, Actuarius, Avicenna, et alii pariter senserunt ; paulum de modo operandi scribentes. Vix necesse est dicere, plerosque scriptores ætatis nostræ huic sententiæ assentiri ; et æque universa est fides, calorem immodicum a regione vel labore nuper præcessisse *. Hippocrates rursus ait, " Est vero ubi in Tetano sine ulcere, in juvene mediocri corporis habitu prædito, ætate media, frigidæ multæ profusio revocationem efficit. Calor autem hæc sanat †." Tertia causa est vulnus, et modo prædisponens, modo excitans videretur, uti exempla Doctoris D. Monro et Professoris Robison, jam citata, demonstrant ; at utrum sit leve an atrox, aliquando parum refert. Quod ad structuram sauciatam, quæ Tetanum maxime promovet, medici inter se dissident, et exoptandum erat rem certiorem fecisse. Præ-

* Opera Drs. J. Clark, Allan, Hillary, &c.

† Hippocrates, Sect. v. Aph. 21.

ceptor meus primus A. A. Cooper, Eques, (cui ars chirurgica beneficio devincitur), anno millesimo octingentesimo et decimo, discipulis suis hanc sententiam tradidit *: "And, secondly, as acting on the nervous system, causing Trismus, Tetanus, and other spasmodic effects, when tendinous sheaths, tendons or fascia of muscles, are wounded." Hac opinione non est unicus, Macbride †, Curtis ‡, et Moseley ||, ei consentientes; et scriptor postremus argumentum profert, uti, "Negroes, who are most subject to it, are void of sensibility to a surprising degree. They bear chirurgical operations better than white people." Sectio prior valde dubia est, posterior falsa esse noscitur. Æthiopes vehementer exclamare sub amputatione membrorum vidi; et putare sentiendi facultatem augeri a calida ad plagam frigidiorem eundo, contra experientiam arguere foret. Ordo aliquis virorum, nempe Ambrosæus Pa-

* A manuscript copy of Lectures.

† Macbride's Physic, Lib. v.

‡ Curtis on Ind. Diseases, art. Tetanus.

|| Moseley, art. Tetanus.

RÆUS *, SENNERTUS †, et BENJAMIN BELL ‡, de eo loquuntur vulneribus tendinum vel nervorum quasi eveniente; dum tertius (quibus consentio) nervis sauciatis morbum in toto attribuunt. FABRICIUS inquit, " Convulsio signum nervi vulnerati ||;" PAULUS ÆGINETA, " Et vulnus, et ustio, et plaga, et alia quæ eandem læsionem nervis inducere possunt §;" cum his BOERHAAVE ¶, CLARK, CULLEN, HILLARY, WHYTT et ALLAN sentiunt. Non istam sententiam selegi, propterea quod calamo clarorum mihi tradebatur, sed quia bonis consiliis sancire potuissem, et vir quisque pro seipso cogitaret.

Partes natura sensu maximo præditas, sub inflammatione incrementum summum indicare, et corpus totum præcipue afficere, a priori justum videtur. Hoc in genus nervosum ab experimen-

* Lib. viii. cap. 9, & 10.

† Lib. v. Pars. iv. cap. xv.

‡ Surgery.

|| FABRICIUS, Cap. xi.

§ PAULUS ÆGINETA de Remediis, Lib. iii. cap. xx.

¶ Vide Opera eorum varia.

tis * et morbo observatur. Porro nervi sensus omnis medio fruuntur, dum tendines sanæ vel inflammatæ paululum sentiunt. Scalpellum iis sine dolore applicari potest. Tendo Achillis et ejus aponeurosis sæpissime lacerantur, parva corporis injuria; et Doctor Parry † sentem per eam coactum sine injuria vidisse meminit. Dolor gravis e pure sub digitorum theca, potius nascitur compressione partium sensu exquisitiori præditarum, quam ab ulla inflammatione thecæ ipsius; juxta enim pura liberrime defluentia incisione, angor et inflammatio pro salute mutantur. Tetanus porro vulneribus manuum pedumve etiam lævissimis fere evenit, quibus sensus facultas est eximia; et morbi structura plagis penitus tendinum experte exempla memorarem. Doctor J. Clark scivit "a negro who had it after being stung on the glans penis, when asleep, by a large wasp ‡." Factus est a nervo || cum arteria

---

* Brunn de Experimentis Nervorum.

† Parry, De Tetano.

‡ Clark "On West Indian Diseases," Cap. xii.

|| Allan's Surgery, vol. i.

spermatica ligamine incluso *; tentamine tumores ab inguine et axilla ligatura extirpare †; a dente extracto ‡; clavum resecando ‖; medicamento irritante §; verberatione gravi, et denuo ¶; iracundia aut terrore vulnera succedentibus. Itidem sæpe abest, donec gradus vulneris paludosus (Anglicè *sloughing*) præteritur, quod ex ægro meo, haud secus scriptoribus ** patet. Sed ubi quæso exemplum Tetani a tendine sauciata solum invenies, aut quomodo, nervis intactis, tendines nocere poterimus? De aliis causis mentio fit apud medicos. HIPPOCRATES cum cæteris †† proavis dicit, " ‡‡ Con-

---

* ALLAN's Surgery, vol. i.

† Med. Chir. Trans. Coll. Phys. Philadelphia.

‡ PETRUS FORESTUS.

‖ DE HAEN, Part. vi. Cap. iv.

§ MORRISON De Tetano.

¶ HENNEN's Surgery.

** ALLAN's Surgery. CROWTHER on Insanity.

†† RIVIERUS, Lib. i. cap. iv. BOERHAAVE, Aph. 331.

‡‡ HIPPOCRATES, Sect. vi. Aphor. 39.

vulsio aut a repletione, vel inanitione, vel irritatione." A febribus etiam, et secundum De Haen* abortu, spirituum vel aquæ gelidæ potu; denique, a vermibus † intestinis, et infantibus ab irritatione vel meconii vel funis umbilicalis, evenire fertur.

DE CAUSA PROXIMA.

Quid dicam de re tam obscura; quoniam medici per tot sæcula fere inutiliter operam dederunt? An laborem indagationis subeo, an ratiocinationi meæ fido, sententia Poetæ demum confirmabitur?

"In human works, though laboured on with pain,
"A thousand movements scarce one purpose gain ‡."

Persimile est investigationi vitæ causarum, quæ

---

* De Haen, Ratio Medendi, art. Tetanus.

† Baron Larrey, De Haen, Moseley.

‡ Pope's "Essay on Man, Essay i."

adhuc reperiendi finivit, vitam esse vitam. Tamen verbis ejusdem Poetæ uti,

"The proper study of mankind is man *."

Modestia decora pensum persequi spero. Apud brutam tellurem sine causa nunquam spectamus effectum, igitur apud vivantem comparatione idem putamus. Hoc discrimine, priori et causa et effectus simpliciora nobis apparent, adeo ut una sublata, alter desinit: sed posteriori, causis abditis effectus sæpissime eveniunt. Hinc proxima causa omnino corpori inesse, et vis agendi remotis, penitus exoriri videtur. Opifex enim ille Divinus, hominis fabricam adeo exquisite formavit, quod causam excitantem unico simplici effectu raro adducemus. Effectus primus causa secundi erit, et se invicem tertii causa fit, sic deinceps ultra mentem mortalem; dummodo quodque effectui primo accidit, est abditum. Ex. gratia: Vi idonea lapidem frango; causam et effectum simplicem testor; at si artum meum frangam, quamvis principio instar erit, tamen legibus quibusdam corpori humano ducentibus, ef-

* Pope's "Essay on Man, Essay i."

fectus secundarii, quoque ternarii, causis abditis eveniunt. Quoniam causæ proximæ caligine obducuntur, sedulo remotas perscrutari nos oportet.

Sequens igitur est sententia mea, si propriam proferre liceat. Proximam Tetani causam esse statum cerebri et generis nervosi maxime sensu præditum, causis a remotis jam numeratis ortum, et fibras musculosas tonico et abnormi spasmo incitantem. Non medullæ spinali cum Doctoribus REID et SAUNDERS, nec muneri musculoso cum MOSELEY, solum respicio. Horum sententias nimis coarctatas opinor. Non est propter nervos partium medulla oblongata seu spinali provenientes, expositionem idoneam iis locis nos quærere, et fontem vis nervosæ excipere; non enim desunt morbi partis a conditione cerebri nascentis, etsi nervis medulla spinali exortis instruitur; inter quos memoranda est hemiplegia. Stimulum, etiam acus, aut vis electricæ, aut acidi sinceri, musculo nudo (femoris vel brachii) admove, et quid vides? Spasmos et sensum doloris cerebro confestim delatum, non columnæ vertebrali unde ejus nervi derivantur. Porro, qui musculosæ fibræ irritabi-

litati solum tribuunt, oblivisci vident, a facultate sentiendi corpore in vivo nunquam esse disjunctam. Et nobis decet munera contemplari, quomodo rationem et instinctum pinxit Poeta,

"'Twixt that and Reason what a nice barrier!
For ever separate, yet for ever near!
Remembrance and Reflection how allied;
What thin partitions sense from thought divide *."

DE DIAGNOSI.

PROVERBIUM vulgi, Morbo cognito dimidiam remedii partem patere, apud medicos plurimum valere oportet. Ecquis enim morbo ignoto sibi jucunde aut ægris salutariter artem medicam exercere potest? Et quamvis habitus varietas morbos partim mutabit, et quasdam difficultates obducet, tamen indicia manifesta et stabilia, quæ nos dirigant, exquiri debent. Quo diagnosin accuratam deducamus, libri atque natura sunt scrutanda et invicem conferenda. Hæc medico facilita-

* POPE, "On Man, Essay i."

tem judicandi, in ratione medendi, simul prænotionem certiorem reddent, et nomen præclarum ei comparabunt. Morbi Tetanum maxime simulantes sunt Hydrophobia, Epilepsia, Hysteria, Convulsio puerpuralis, Convulsio infantilis, et Chorea Sancti Viti. Qui omnes sunt spasmodici, et a causis genus nervosum excitantibus nascuntur; huic tamen multum dispares. Uti parum periculi est erroris, hunc morbum recte notandi; lectoris hora tædio minutiarum non lubenter decipiam, sed paucis verbis indicia summa Tetani dabo, quæ istis non contingunt. Hæc sunt trismus, spasmus tonicus generalis, durante paroxysmo dolor per epigastrium ad vertebram gravissima, alvus diuturne adstricta, delirium nullum.

DE PROGNOSI.

A diagnosi ad Prognosin iter apte persequimur, quæ exitum morborum ostendit; neque medico aut ægro est momenti minoris; sic libro prænotionum sensit Hippocrates. De eventu hujus morbi, medici parum inter se

dissentiunt; vis ejus fatalis e singula causa omnibus confitetur. Nihilominus fausta et infausta signa tenebit, et quamvis pro exitu felice cordis mei vota loqui non possum; tamen dictum illud Hippocratis, "Convulsio si superveniat vulnus lethalis est," aliquanto minui credo, si recentiorum re secunda judicare licebit. Idem auctor in aphorismo sexto sectionis quintæ ait, "Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies pereunt; si tamen hos effugerint, sanescunt." Celsus, Aretæus, Forestus, et alii eo consentiunt; et quamvis spem vivendi esse majorem post diem quartum nemo dubitat, tamen exempla fatali longo post tempore illo narrantur, sed quo diutius vita manet, eo melius diceremus. Præterea Hippocrates ipse, in capite duodecimo libri tertii, de Tetano hoc firmat, "Hic tertio aut quinto, aut septimo, aut decimo quarto die perit; hos si effugerit, convalescit." Hic profluvia critica sanguinis, urinæ, vel sudoris, quasi in febre non possidemus; neque est index ille præstans, pulsus, qui morbis sæpissime nobis prodest, unquam fidendus. Scriptor * præclarus recentior fiduciam magnam ei dedit; tamen experientia sua compa-

* Parry on Tetanus.

ratione professorum medicinæ militarum tam arcta fuit, ut eorum sententias plurimum respicerem. Et quid aiunt. Moseley nobis dicit: "But when the patient is not plethoric, nor of an inflammatory tendency, though breathing be interrupted during the spasms, the pulse in general is nearly as regular as in health;*" quod Curtis † et Morrison ‡ firmant, et Jacobus Macgregor, Eques, narratione perita morborum exercitus, notat: "The arterial system is scarcely at all affected, except that frequency of pulse is produced by the excruciating spasms ||." Hinc causis fortuitis pulsum frequentem referre malim. Tetanus regione calida infantibus adeo lethalis § evadit, ut pauca convalescant; et nimia corporis mobilitas mihi causa videtur.

Rebus jam dictis, exitum felicem diminutione per gradus accessionis et omnis spasmi sub reme-

---

* Moseley "On Tropical Climates."

† Curtis "On Diseases of India."

‡ Morrison "On Tetanus."

|| "Report on the Diseases of the Army."

§ Cleghorn's "Minorca;" Introduction. Drs. Clark et Moseley.

diis constare dicam; et infelicem incremento amborum, frequentia et viribus.

DE RATIONE MEDENDI.

Verba Balduini in literas hic applicentur: "Ut etiamsi nihil dici posse videatur, quod non dictum sit prius; tamen semper abunde satis aliquid superet, in quo literatorum industria queat exspatiari *," et quamvis Celsus vere loquutus est, dicendo, "Morbos autem non eloquentia sed remediis curari †," tamen me oportet opere progredi, cum certum remedium est adhuc ignotum. Imprimis, medicinam avorum respiciamus, deinde, cum hodierna eandem comparemus, et aliquid exinde boni si liceat, discere. Veterum scripturis præcipuus error mihi constare videtur, exemplorum paucitate quod rationem suam medendi non semper manifestam reddit. Certe sententias suas retulerunt quod ad morbi naturam, præsagia, atque remedia, et nihil amplius. Quicquid tamen nobis

* De Calceo in Præfatis.

† Liber 1mus.

tradiderunt, probe utamur. Hippocrates tetanicis piper cum helleboro nigro ingressit, et jusculum gallinaceum pingue; crebroque corpus oleo calido illevit. De affusione aquæ frigidæ loquutus est, tametsi leviter, ait, "et si voles, ita facito. Post affusam aquam frigidam plurimam, vestimenta tenuia, pura et calida superinjicito; tuncque ignem ne adhibito *."

Celsus † fomentis oleoque calido, haud secus atque Hippocrates usus est, sed castoreum cum pipere junxit, caput ad cutem totondit, cucurbitam, cauterium, sodæ muriatem humidum et frictionem adhibuit, potus emollientes, minime venæsectionem aut vinum probavit. Aretæus ‡, Cælius Aurelianus ||, et Prosper Alpinus §, de curatione Celso parum distant (venæsectione excepta); quæcunque calorem facile excitaverunt, aut corporis rigorem minuerunt, di-

* Hipp. Lib. iii. cap. xii. De Tetano.

† Celsus, Lib. iv. cap. iii.

‡ Aretæus, De Curat. Morb. Acut. Lib. i. cap. 6.

|| Cælius Aurelianus, Lib. iii. cap. 8.

§ Prosper Alpinus, De Medicina Method. Lib. x. cap. 8.

ligentia summa applicando; et quamvis spem abjicere modo ARETÆUS videtur; modo tamen inquit, "nihilominus tamen opem ferre decet; quandoquidem nonnulli et adhibitis remediis mortem evitarunt." PAULUS ÆGINETA *, e sanguinis missione incepit; deinde oleum calidum variis modis commendavit, et ammoniacum, myrrham cum succo papaveris interne exhibuit.

